

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Nemlich das Ich mich von hinden / ob alsbald gegen Wittenberg in meine Behausung begeben / daselbsten ein Monats lang bestrickung inhaltens / daraus nicht ziehen / und dennoch ausgangs solches Monat mich in ein Haus in Nieshad / so seine Ch. F. S. mit benennen werden / verfügen / darinne bleiben / und daraus nicht kommen / viel weniger aus seiner Ch. F. Gn. landen ziehen oder mich begeben wolle. Es geschehedam solches mit Ch. F. S. sonderlicher bewilligung und nachlassen / ausserhalb das mir in die Kirchen / zu Hochzeiten und Gefarrschafften erleubt / do auch seine Ch. F. S. mich in Friedens- oder kriegeszeiten / aus einer Stadt in die andern senden werden / das ich one allen auszug und fürwenden zu folgen und zugehorsam schuldig. Item das Ich im Artikel des heiligen Nachmals vorhin nichts leren / predigen / moviren / regen / oder schreiben wollen / den es so fern mit seiner Ch. F. Gn. fürwissen wider die Sacramentrische lehre geschehe / und auch sonst nichts ausgehen noch drucken lassen soll / Es haben dann solches seine Ch. F. Gn. sonderlich erschen lassen und mir gnädig ertaubt.

So hab ich solliches alles zum unterthenigsten danck angenommen / und bewilliget / Verbanne / verspreche / gelobe hiemit bey dem wort der warheit / Erawen / glauben / und an aydes statt / das ich solchem allem Erawlich und vestiglich nachsetzen / darwider nicht thun / handeln / oder von meinenthalben zu thun oder zu lassen gestatten wolle. In keiner weise / wie des Menschen Sin erdencken mag. Ich soll und will auch in Ch. F. S. dienste und bestallung bleiben / und was Mich seine Ch. F. S. zu rathen oder zu stellen bevehelen werden / Erwlich vorrichten und mich gehorsamlich erzeigen / alles Erwlich ohne Geserde.

CLXXV.

*Salutem in Christo Jesu.*

**L**iteras tuas, Reverende & Clarissime Vir, Domine & frater honorande, accepi, quæ sane me plurimum perturbarunt, quod intelligam, D. Pappum nostræ expectationi minimè respondere. Etsi verò constitueram, cum eodem per literas expostulare, id tamen hanc ob causam intermisi hæctenus, ne forte, re non probè perspecta, magisturbem, quam ædificem. Ideoq; alterum tuum responsum expecto. Nolle enim tibi laborem, & illi dona perire, qui, quod est, post DEUM tibi debet. Sin verò nulla spes est, faciam, ut intelligas, veterem amicum mihi charissimum semper fuisse, cui metuo, an parem sim successorem visurus. Puerum ad nos remissum, Hagonoam meus cognatus secum abduxit, ubi cum aliquid profecerit fortassis, mutatis animis hominum, ad absolvenda studia ei locus erit. Scriptum contra Tygurinos vobis probari, gaudeo, desiderant quidam modestiam; Ego verò mendacissimum Spiritum clementius tractare non possum. Et nihil dubito, me vera scripsisse. Si Diabolo

bolo & ejus discipulis non placet, bene satis est, si tibi aliisque doctis & piis viris probatur. Et habeo quamplurima testimonia, ex variis locis, à Viris doctis & piis, qui idem nobiscum sentiunt. Scriptum contra Heidelbergenses peculiare adornatum adhuc apud Curatores mei Principis hæret, qui fortassis metuunt, ne cælum ruat, si zelo pietatis huic mendacissimo Diabolo resistamus. Spero autem in proximis nundinis Francofurtensibus in lucem proditurum, in quo larvam huic Angelo tenebrarum detraxi, ut qui eum novisse nolit, sua culpa pereat. Ne autem ocio peream, Illyricus mihi novum facescit negotium. Vidistis enim, quid insignis ille Sycophanta & perturbator nostrarum Ecclesiarum ad meam amicissimam & fraternam Epistolam responderit, in qua non modo fervorem mihi objicit, sed etiam tanquam lucifugam accusat, quod male agam, ideoque etiam in luce cum ipso congregari non audeam. Quæ causa me movit, quod curavi Typis excudi Colloquium Argentinense, cum ipso institutum. Cui adjunxi Epistolam meam ad ipsum, & ejusdem responsum, quod sequitur refutatio, in qua demonstravi, quanta Illyrici malitia sit in depravandis aliorum sententiis, & , ut spero, ejus vanitatem ita demonstro omnibus, ut qui porro illius partes sit secuturus, aut stupidus sit necesse est, qui nihil profus intelligat & pariter cum ratione etiam sensum communem amiserit, aut extreme malus sit.

Hunc laborem dedica vi Proceribus Styriæ, quod videam, hos turbulentos homines, passim expulsos, sibi in iis locis sedem quærere, ut non modo teneras Ecclesias turbent, sed inde etiam contra alios clamare possint. Spero autem, malis hominibus consilium pessimum non successurum. Facio etiam in præfatione mentionem filii Tui charissimi D. Philippi, Licentiati, ut occasione accepta auxiliares manus præbeat Dn. D. Hombergio, qui in hac parte, ut spero, officium facturus est, ne ovile Domini eo in loco pestiferum hoc genus cuculi occupet. Dominus consilia & actiones omnes ad gloriam sui nominis & Ecclesiæ salutem dirigat. Dicitur non potest, quantum me hoc negotium perturbet, quod videam, homines in manifesta luce cæcutire. De vobis quoque & vestra Ecclesia & Schola sum sollicitus, ne Zwinglianus Spiritus vires acquirat, & ingens damnum det. Non enim potest mendacissimus hic Spiritus quiescere. Et fortassis fatales pœnæ imminet, quæ nullo consilio averti possunt.

Si enim hoc modo DEUS voluerit ingratitude erga verbum suum revelatum punire, quid sumus nos, ut avertamus? Quapropter quod mutare non possumus, feramus patienter & oremus, ut det Dominus pacem in DIEBUS nostris. Benè & feliciter vale cum sanctissimo universo ministerio vestro, & conjuge honestissima, totaque familia, istis omnibus & singulis meam officiosam salutem dicas. Raptim Tubingæ 14. Decembr. 1574.

Vidisti, ut opinor, quæ sunt Wittebergæ edita, ex quibus intelligo, vul-

nus nondum esse curatum. Et habere impietatem Cinglianam in illis locis adhuc suos Patronos. Quippe non aperte contra nos pagnat, sed per locustia nos tanquam spiritus tenebrarum adoritur. Huic resistendum est, quantum possumus, ut vel saltem aliquos in vera pietate retineamus. Es sind die verlogenste Schelmen die der Erdboden getragen hat / wie auch Illyricus und sein Anhang.

*Tuisissimus Collegarumq; Tuorum frater*

Jacobus Andreae.



CLXXVI.

**A** Grosco consuetam tuam humanitatem & benevolentiam erga me, vir reverende, & charissime frater, quod doloribus podagrae nondum liber, scribere tamen ad me volueris. Ac quod filium attinet, recte sentis, ejus mihi successus ex animo cordi esse, quem & ipse cupio nobis propinquiorem, quo & tu de vera arate relictique queas ejus praesentia, & ego literarum commercio commodiore uti, & quod potissimum est, spem praesumo magnam ejus professionem loco celebriore fructum habiturum esse maximum. Rogo vero te, ut quisquis eventus fuerit, me facias certiorum. A Domino Patiente accepi literas, quibus animadverto, nondum sibi fixum esse permanendi in sua statione propositum. Sicut idem etiam Palatinae aulae praefectus per suas mihi significavit. Rescripsi ad utrumque, illum hortatus, ut nulla tentatione ab ea se ecclesia divelli sinat, in qua usus ejus & amplius est & necessarius; hunc vero, ut quod fecit, facere pergat, instet, urgeat, quo retineatur. Velim idem magnopere abs te denuo fieri, cujus auctoritatem scio pondus habituram. Nam quo magis illic vigent maligna quorundam studia, eo magis requiri viri optimi & doctissimi, adde & gratiosi, ministerium, quo infringantur. Apud nos satis tranquilla sunt DEI beneficio omnia, sed interim vigilantia nobis opus est & DEI gratia. Prodiert nuper collegae libellus Tiguri recusus, cumque essent huc missi aliquot exemplaria clam ad Bibliopolam, re intellecta Magistratus est vestigio tolli curavit. Conubium Wirtenbergici cum Palatina virgine minus damnosum erit Ecclesiae, si sponsus solide institutus & confirmatus, professam religionem fovere & confirmare constituat, negotium tamen nonnullum faciet Eva, idque in ea Ecclesia, ubi non desunt clancularis studii aderversantes, usque adeo opus Domini nusquam non laborem, sudoremque secum fert. Verum qui custodit Israel, conservabit suos in finem, & fideles operarios aeterna glorificatione remunerabit. De rebus Saxonis etiam, quae nuper communicasti, nihil accepi, si quid habes, rogo significas, mi-